

**Dissertatio medica de singulari fluoris albi et sterilitatis muliebris cura ... /  
praeside Georgio Friderico Stabel ... Christianus Godofredus Behr[...] ... ad  
diem XII. Augusti A. O. R. MDCCXXII.**

### **Contributors**

Stabel, Georg Friedrich, -1729.  
Berisch, Christian Gottfried.  
Universität Halle-Wittenberg.

### **Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Gruneri, [1722]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zvypquzg>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Q. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICA  
DE

**SINGVLARI**  
**FLVORIS ALBI ET STE**  
**LITATIS MVLIEBRIS CVRA**

QVAM  
DEO PROPITIO  
IN

ACADEMIA FRIDERICIANA  
EX  
CONSENSV GRATIOSISSIMAE FACVLTA  
MEDICAE

PRAESIDE  
D O M I N O  
GEORGIO FRIDERICO STAB

MED. DOCT. ET PRACTICO CELEBERRIMO  
PATRONO MAXIMOPERE COLENDO  
PLACIDO PHILIATRORVM EXAMINI SVBMITT  
AVTOR RESPONSVRVS

CHRISTIANVS GODOFREDVS Behn  
DRESDENSIS

AD DIEM XII, AVGVSTI A. O. R. MDCCXXII.  
HORIS CONSVETIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis IOANNIS GRVNERI, Academ. Typogr.



IN INCLYTA ELECTORIS SAXONIS VRBE  
DRESDENSI  
VIRIS  
OBILIBVS, PRVDENTIA, ERVDITIONE,  
IN REBVS GERENDIS DEXTERITATE  
MAXIME CONSPICVIS  
DOMINIS DOMINIS  
CONSVLIBVS  
SYNDICO  
PRAETORIBVS  
CAETERISQVE  
SENATORIBVS  
IAE PATRIBVS BENIGNISSIMIS, DOMINIS SVIS,  
PATRONIS AC MAECENATIBVS  
OMNI HONORIS AC PIETATIS ET OBSEQVII  
CVLTV PROSEQVENDIS  
DISSERTATIONEM HANC MEDICAM  
IN  
SSAE AC DEVOTAE MENTIS TESSERAM ET VLTERIO-  
REM SVI COMMENDATIONEM EO QVO DECET  
AC PAR EST ANIMO  
DAT DICAT DEDICAT

AVTOR  
Christianus Godofredus Behrſch  
Dresdensis.





L. N. L.

## PRÆFAMEN.




Umme necessariam & generi humano perquam utilem esse Tractationem nostræ materiæ de Curatione fluoris albi & difficultate imprægnationis siue sterilitatis muliebris, omnes, qui partim miseriam hujus afflictionis & molestias, partim

desideria sperati fructus in matrimonio viventium horumque quærelas, imo sæpe inde oriundas rixas, curas, & simul malorum illorum curandi difficultatem accurate pensitant, facile fateri necessario debent. Magnates æque ac alias personas privatas multoties quærentes audimus: Desponsata mihi est uxor formosa, modesta, virtuosa, honesta omni æstimatione digna, sed finem intentum primum obtinere non possum matrimonium nostrum manet infœcundum.



Triste solum sterilis sine fruge sine arbore tellus  
nec dapes, nec condimenta grata, nec aphrodi-  
siaca juvant, & Medicorum etiam consilia & auxilia  
nihil profunt, & focrus & focer qui anxie sobolem  
optant videre, omnes sæpe simul Medici ostia pul-  
sant unoque ore illius opem rogant, obsecrant;  
quid vero solatii miserrimi ut plurimum inde re-  
portent, proch dolor quotidiana docet experien-  
tia. Non quidem pruritu jejuno inclarescendi  
hæcce scribo, multo minus aliorum celeberrimo-  
rum Medicorum curationes reprehendere volo sed  
ut Patriæ & Parentibus ostenderem, me monitum  
venerandi cujusdam Senis: disce singulare quid  
non vulgare, & aude quid, diligenter semper ob-  
servasse & nihil magis me optare, quam ut pro vi-  
ribus a DEO concessis proximo meo inservire pos-  
sim. Sine ambagibus itaque propero ad ipsam  
Tractationem nostræ dissertationis, & singularem  
illam quantum vires meæ permittent dictorum  
malorum curationem proponam, Casusque non-  
nullos a Doctissimo Dno Præside cujus fidelitatem  
publice laudare non erubesco, communicatos simul-  
addam. Summum itaque quod veneror Numen,  
ut gratia sua hunc meum laborem secundet arden-  
tibus imploro precibus.





156



DUCE CHRISTO!  
DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**SINGVLARI**  
**FLVORIS ALBI ET STERI-**  
**LITATIS MVLIEBRIS CVRA**

§. I.

**A**Ntequam de curatione nostra agamus præmonendum in limine statim esse ducimus, quod de sterilitate & fluore albo Mulierum speciatim ideo tractemus, primo quidem, quoniam diversa ac distincta sunt mala, ita ut fluore albo mulieres in conjugio viventes non tantum easque etiam gravidas, sed etiam infantes & virgines florentis ætatis æque ac adultas imo & viduas laborare videamus. Sterilitas autem solis mulieribus matura ætate gaudentibus, quæ ad fœtus conceptionem & exclusionem debitam sunt impotentes, est molesta; Deinde quoniam Fluor albus non semper, nec omnis nisi inveteratus, vel nimius pro causa sterilitatis est habendus; Præprimis autem denique ideo factum est, quoniam una eademque methodo, de qua agemus, sexus fœmininus a miserrimis istis afflictionibus potest liberari.

§. II.

De illis quidem Sterilitatis speciebus quæ vel plane nullam curationem admittunt medicam, vel opem Chirurgicam expostulant, & passim ab aliis



tam Anatomicis quam observatoribus sunt annotatæ & conscriptæ modo non tractabimus, quia ad nostrum scopum non pertinent. Numerandæ autem imprimis inter has species, & pro causis sterilitatis habendæ sunt verbi gratia imperforatio vaginæ, item nimia hujus coangustatio, callositas, coalescentia, clitoridis excessiva magnitudo, nympharum nimium incrementum, labia pudendorum conglutinata, scirrhi & condylomata vaginæ canalem constipantia, sarcoma uteri ostio adnatum, uteri prolapsus, uterini fungi, orificii uteri nimia angustia vel occlusio & ejus ab excrescentia carnea obturatio, uterus scirrhusus, callosus, calculi in utero hærentes, tubarum nimia angustia vel occlusio, vel a calculo obstructio, omenti durities & crassities uterum comprimens, & denique ovulorum defectus.

§. III.

Neque de illis quidem Uxoribus, quæ variorum morborum atrociam enervatæ per tempus ad opus generationis impotentes factæ sunt agemus, sublatis enim illis affectibus, facile denuo per varia confortantia restaurantur. Luem etiam ipsam veneream, quæ sterilitatis aliquando solet esse causa, modo omitemus, quia aliam plane medendi methodum poscit. Litem etiam modo non movebimus de incantationibus, & suam cuique hac de re relinquimus sententiam, interea quod diabolus in homines vere in Christum credentes, nullam habeat potentiam firmiter credimus. Multo minus fabulam illam D. Naboth in dissertatione de sterilitate



tate mulierum de convenienti spirituum animalium viri & Fœminæ harmonia examinabimus.

§. IV.

Sed nostri nunc instituti est, de illis uteri affectibus ac immediatis sterilitatis muliebris causis agere, quæ specialissime auxilium medicum & poscunt, & admittunt, atque non raro ac familiariter genus fœmininum affligere solent. Causas autem illas non aliunde quam ipso in utero materno, agro scilicet naturæ ferendis hominibus a Deo factis, quærendas esse firmiter statuimus.

§. V.

Sunt autem Causæ illæ conceptionem impediētes vel fluidæ vel solidæ: inter fluidas primo numerandus est ipse sanguis, & quidem sive per diæresin sive per violentiorem anastomofin extravasatus, qui partim post immodicas menstruorum fluxiones, partim post nimium emmenagogorum abusum & hinc multoties subsequenter insolentiorē sanguinis profusionem, partim post injustam Lochiorum excretionem in utero remanere, stagnare, & subsistere in illius cavitate solet, quam diu itaque cruor ille ibidem permanet, nulla conceptio, nullus fœtus est sperandus, uti historiæ practicæ & quotidiana etiam docet experientia.

§. VI.

Deinde huc referendi sunt humores serosi, varii generis variæ indolis, varii coloris, variæ consistentiæ, pro conditione humorum ex sanguine ad has partes affluentium per glandulas uterinas secreti, & per oscula illarum in cavitatem uteri emissi. & ibidem stagnantes pituitosum talem ute-



rum germani etne verschleimte Mutter vulgo quidem jure tamen nominare solent, graviter hinc jam suo tempore Hippocrates aph. LXII. Sect. V. & alibi foeminas illas gravidari non posse quæ uteros tales præhumidos & lubricos habent, pronuntiavit. Humores illi serosi aliquando in glandulis stagnare solent, & hinc varii uterini tumores oriuntur; aliquando magna in copia ipsa in cavitate uterina per longum tempus subsistere, ope autem Naturæ evacuari solent, quale exemplum inter alios Fernelius recenset de muliere quadam, quæ hydrope uteri, a collecto procul dubio humore seroso, ex glandulis illius, correpta, quoties appetebat menstrua purgatio, omnem aquarum colluviem per cervicem uteri hæc profundeabat, pelvesque sex aut octo implebat aqua citrina ferventissima; Interdum successive serosa talis colluvies evacuatur, quod fluorem album pertinacem nominare solemus; interdum etiam, quamvis minori in copia tamen magis viscidi glutinosi illi humores ipsa in cavitate uterina per longum tempus remanere solent, nulla subsequente floris albi evacuatione. Quamdiu itaque uterus sordibus hisce est repletus & impletus semen suffocatur, nec ejus immissio per tubas Fallopianas ad ovarium & nulla conceptio locum habere potest.

§. VII.

Non sine ratione semen etiam virile a damnando nimio coitu in uteri sinu collectum & accumulatum inter illas causas numerare possumus, semen vero virile a coitu remanere præter alios testatur Celeberrimus Ryschius in Thesaur. anat. VI. p. 15.

§. VIII.



§. VIII.

Inter concrementa solida cum plurimis Practicis imprimis numeramus varii generis Molas ab observatoribus passim descriptas, quæ si cavitationem uterinam occupant, veri Fœtus conceptionem non admittunt, qualia exempla notatu dignissima nostram hanc sententiam confirmantia, Excellentissimus D. D. Stahlius in diss. sua de sterilitate fœminarum recenset. Pertinet & huc singularis D. Managetæ historia, in A. N. C. qui in utero defunctæ mulieris materiam caseo recenter coagulato similem invenit, & aliæ quas brevitatis causa omittimus.

§. IX.

Dispositæ imprimis ad tales humorum in utero decubitus sunt Mulierculæ molles, spongiosæ, succulentæ, pingues, plethoricæ, rhevmaticæ, quæ transpirationem habent impeditam lascivæ, vitam molliculam & sedentariam degentes, item quæ frequentius passæ sunt abortum, & quibus aliquid secundinarum remansit. Inter causas remotas, præter antea dictas, referendæ huc etiam sunt illæ, quas inferius, quando de fluore agemus albo recensebimus.

§. X.

Signa concrementorum & molarum in uteri cavitate hærentium hæc imprimis sunt: mutatio coloris faciei floridi in pallidum, appetitus prostratio, interdum & nausea & vomitus matutinus, languor insignis, venter interdum intumescit interdum etiam durus fit cum gravitate & extensione abdominis,



sentiunt etiam aliquando pondus quoddam hinc inde mobile in abdomine, ubi foemina in latus vel sinistrum vel dextrum se convertit, incessus nunquam fit difficilis, sic ut propendere pondus aliquod ex utero videatur, menses quidem interdum, sed inordinate & decolores fluunt. Fluidorum in utero stagnantium humorum signa, nulla quidem manifesta certa alias habemus, nisi quando magna in copia adsunt, tunc per ventris intumescuntiam & illorum post conversionem corporis in aliquam partem, fluctum manifestantur, nos autem praesentiam illorum vere saepius indicavimus, quando steriles ejusmodi mulieres pallidae, debilitatem in lumbis sentientes, ex levi causa crebrioribus hystericis affectibus vexabantur, rationem quilibet facile concipere poterit, qui molimina Naturae diligenter attendit examinat.

§. XI.

Progredimur nunc ad alterum malum quod fluorem album muliebrem nominare solemus germanice *der weisse Fluß* / qui est variae humorum colluviei ex genitalibus muliebribus vel periodica vel vaga, interdum vero continua, excepto mensium tempore, excretio, dum fluidum quoddam pituitosum, mucidum initio aliquamdiu mite nec ita multum album, progressu vero temporis copiosius plus minus corruptum, mucosum, glutinosum, varii coloris, modo flavescens, modo viridescens vel mixtis tinctum coloribus, graveolens, raro etiam acre ex hisce partibus effluit.

§. XII.



§. XII.

Excretio illa aliquando quidem, quando post menses suppressos sequitur, solet esse critica, dum incommoda illa, quæ ex suppressione mensium sequuntur, allevat; Ut plurimum vero est morbus mulierculis valde molestus utero non tantum, sed toti etiam œconomia corporis noxius, periculosus, præter rosiones & dolores maxime sub fortiori corporis motu, quos in genitalibus percipiunt fœminæ, observamus in illis mutationem coloris, venustatis, appetitus ciborum prostermitur, accedit flacciditas membrorum, mollities & debilitas in lumbis, virium prostratio, torpor actionum, tristitia in animo, sequitur deinde, quando evacuatio non legitime procedit, spirandi difficultas, palpitatio cordis, nonnunquam etiam tumor pedum, aliquando & Tabes, ut modo jam nihil dicamus, quod ut plurimum sterilitatis fit causa.

§. XIII.

Pars affecta hoc in morbo est uterus ejusque vagina, tota enim uteri substantia cum vagina & pudendis, spongiosa, fibrosa & glandulosa est, & copiosissimis vasis sanguineis est imbuta, imo & diversa ibidem observamus vasa lymphatica. Secretio liquoris istius ipsis fit in glandulis illarum partium, quarum aliæ majores, quales imprimis circa sphincterem vesicæ imo in toto tractu urethræ secundum Clarissimum Bidloun observantur ex quibus tubuli varii plures minores, quæ deinde in majores deflunt, abeunt & circa meatus urinæ exitum con-



currunt; aliæ minores, per totam interiorem glandulosam tunicam vaginæ non tantum, sed etiam cervicis & fundi uterini sparsæ ac disseminatæ reperiuntur, quæ suis quæque osculis in cavum illius hiant, liquoremque alias vaginæ lubricandæ destinatum & forte ad alium adhuc usum plorant.

§. XIV.

Quando itaque glandulæ illæ a naturali tono remittunt, & a quavis causa labefactantur, non tantum intumescunt, ita ut secundum Dolæum Encyel. med. dogm. Lib. V. c. IV. glandulas uterinas pisi magnitudine tumidas & induratas fuisse in muliere mortua, quæ viva hoc malo graviter laboravit, sciamus, sed uberius etiam humores ibidem subsistentes dimittunt. Quod si vero humores crudiores impuri huc per arterias adducuntur, vel si etiam illi a stagnatione viscerum acres sunt facti, facile est intellectu, eos rodendo glandulas malum hoc & gravius & pertinacius reddere.

§. XV.

Valde familiaris est hic affectus mulieribus, quoniam variæ & multæ sunt causæ ad productionem illius concurrentes, & contribuentes. Quoad dispositionem corporis illæ imprimis ad eundem sunt dispositæ, quæ molli & spongioso habitu corporis gaudent, quæ ubertatem succorum corporis habent, uno verbo plethoricæ, quæ serum possident viscidum, quæ transpiratione prohibita laborant, quæ diminuta excretionem urinæ vexantur, quæ



quæ veneri nimis indulgent, vel lascivas titillationes excercent, quæ aut suppressione aut nimio mensium & lochiorum fluxu laborant pertinent & huc abortus præsertim repetiti nec non partus crebri & difficiles.

§. XVI.

Hiscæ adhuc remotæ annumerandæ sunt, ex quibus præcipuas tantum nominabimus: inter illas merito numeramus vitam molliculam sedentariam, victum nimis humidum, item abusum aquarum calidarum sive infusorum sive decoctorum, fumum calidum tempore hyberno ex ignitis carbonibus in naturalia admissum, refrigerationem corporis, abusum balneorum, thermarum, de quo testatur Platerus, abusum emmenagogorum & diureticorum &c. Hæ dictæ causæ partim negotium secretionum & excretionem ordinariarum necessariarum turbando, partim tonum glandularum uterinæ destruendo, relaxando ad eundem fœminas disponunt morbum.

§. XVII.

Affectum nostrum distinguendum utique esse a fluxione illa venerea per contagium tale suborta, quam gonorrhæam virulentam nominamus, non tantum mali indoles & causæ diversæ, sed ratio etiam curandi postulat, in hac enim quamvis copia minor, tamen tanto major humorum adest acrimonia, quæ ardentes maxime inter mingendum parit dolores, manifestatur etiam ex subortis a contagio venereo ulcusculis & tandem per alia lue



veneream concomitantia symptomata. Quando vero mulierculæ verecundia perfusæ gonorrhæam per impurum scortum contractam fluoribus uterinis mentiuntur Clariss. Baglivius in prax. med. Libr. II. c. VIII. §. III. infallibile tales morbos ad invicem distinguendi dedit signum, Pete dicit. a muliere an superveniente menstruo perseveret quoque eodem tempore fluor ille albæ materiæ; si dicat quod sic, significato eidem, quod morbus a quo divexatur, fit gonorrhœa gallica; si vero durante menstruatione fluor albus evanescat, & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare.

#### §. XVIII.

Sed optime affectus hic ex relatione muliercularum patescit medico, qui circumstantias omnes simul accurate debet examinare. Primo de conditione nec non de copia humorum effluentium, deinde de tempore, utrum certo tantum, vel continuo fiat fluxus, sciscitetur tandem symptomata concurrentia nec non causas quantum fieri potest examinet, hisce enim cognitis non tantum prognosticum facile formare, sed etiam utrum auxilium medicum vel postulet vel admittat judicare poterit.

#### §. XIX.

Postquam itaque sterilitatis muliebris & floris albi historiam & indolem breviter quidem, sed quantum ad scopum nostrum pertinet luculenter satis explicavimus ad ipsam jam curationem horum affe-



affectuum, quam hætenus propter difficultatem plerique inter scandala medicorum retulerunt, nos convertimus. Summo jure curam illam Purgationem uterinam nominare possumus nam vitiosos non tantum in utero stagnantes humores eosque etiam coagulatos, congrumatos, sed etiam varia concrementa sanguinea, carnosæ, membranacea per annexam utero vaginam brevissima via, non secus ac sordes in primis viis hærentes mediantibus purgationibus alvinis ex ano, expurgare possumus.

## §. XX.

Simpliciter autem methodum illam uti a multis hætenus fuit adhibita describemus. Initium curæ faciat fœmina die primo vesperi circa tempus somni sumendo XV. pibulas balsam: nostræ compositionis in potu ordinario, altero die mane jejuna bibere debet unciam unam de vino uterino ex speciebus laxantibus, diureticis, carminativis, & specificis uterinis composito, cujus etiam compositionem alio tempore communicabimus; si placet pro lubitu insuper infusum aliquod v. g. herbæ Thee possunt bibere, a cibo autem per tres horas post hujus usum abstinere debent. Eadem die hora quarta post meridiem paretur balneum ex sequentibus speciebus:

Recipe Radic: Valerian:  
Petrosel:

ana unicas II.

Summitat: juniper: unc. I.

Herbæ



**Herbæ matricar:**

meliss:

serpill:

Fumar: ana manip: I.

artemis: manip: II.

majoran: manip: sem:

**Flor:** cham: Rom: unc: II.

lavend: drachm: VI.

**M. F. Species pro Balneo.**

Illæ induntur in sacculum & per dimidiam horam in aqua coquuntur, in hoc balneo sedeat ægra per horam circiter, sacculum autem speciebus repletum regioni uterinæ imponat. Vesperiterum sumat de pilulis dictis XV. p. d. tertio die autem eandem iterum methodum observet bibendo nempe mane vinum uterinum & a meridie iisdem speciebus quas præcedente die coquebant, balneando, in hac die vesperiter pilulas sumere non debet, quarto die quiescit, vesperiter autem circa tempus somni iterum usu pilularum curam incipiat, quam quinto & sexto die eadem methodo & sic consequenter per quatuor circiter septimanas continuat, tertio die semper quiescit, pro novo balneo recentes semper sumere species debet. Hac ratione non tantum per alvum variæ impuritates secedunt, sed imprimis per uteri vaginam aliquando insensibiliter variorum viscosorum glutinosorum humorum colluvies, aliquando etiam cum spasms & doloribus quasi parturientium



tium sanguinis coagulati & aliorum concretorum materia expurgatur, quæ cuticulæ & alia etiam diversa sub specie altero mane post exhaustam circumspecte aquam in fundo vasis reperitur. Quando evacuatio illa cessat, & nulla amplius materiæ peccantis indicia in balneo apparent, tunc fine roborandi Essentiam balsam: ex bals. Peruv. & succino paratam per aliquot tempus mane & vesperi ad 40. gutt. sumere, regionem autem uterinam cum unguento ex axung. hum. castor. & bals. peruv. composito debet inungere.

§. XXI.

Ad illustrationem non tantum sed etiam ad confirmationem hujus nostræ recensitæ curæ placet mihi jam aliquot ex variis quam multis Casibus ab Experientissimo Dno Præsidente communicatis fœminarum hac eadem methodo ab hisce malis liberatarum historias hic allegare, & quidem

CASVS. I.

**A**Nno MDCCX. fœmina quædam honesta Caschoviæ in Hungaria XXXVI. annorum, macilenta, parva, tum temporis antehac bis abortum passa, fluore laborabat albo pertinaci, & cum altero marito mercatore ejus loci per aliquot annos sine prole vixit, menses inordinate quidem sed largiter quandoque fluebant, ideoque meum implorabat auxilium. Consuetam meam cum vino uterino & pilulis bals. itemque cum balneis &c. inchoavit, & per quatuor septimanas continuavit cu-  
C ram;



ram; Domina illa non tantum sed etiam aliæ mulieres variæ obstupuerunt, cum viscidæ, glutinosæ fœtidæ ex utero promanantis & aquæ fundum petentis materiæ colluviem, quæ collecta plus quam decem mensuras implebat, cernerent, in ultimo balneo nulla vestigia hujus eluviei apparebant, quo factò, non tantum fluor ille molestus cessavit, & vires a morbo hoc gravi valde delassatas recuperavit, sed etiam paulo post concepit, & feliciter favente Deo sanum partum intra anni spatium edidit.

## CASVS II.

Ante duos annos uxor Pannificis hujus loci XXXIV circiter annorum macilenta, quæ post suppressa ante aliquot annos lochia, tumorem uterinum scirrhosum indolentem medium fere abdominis occupantem, & hinc inde mobilem acquirebat, postquam variorum Clarissimorum hujus loci Prætorum & consilia & auxilia in casum exploraverat, meum tandem etiam petiit consilium. Pensitatis rite omnibus circumstantiis, eandem huic commendabam curam, qua etiam secundum præscriptam methodum per tres septimanas utebatur. In balneis præsertim in primo & secundo diu propter spasmos in abdomine & præcordiorum angustiam commorari non potuit, itaque statim in lectum se contulit & sacculum speciebus impletum calidum tumori imposuit, hinc factum, ut non tantum in balneo, sed etiam in lecto copiosissima vitiosa fœtida humorum glutinosorum subcruentorum eluvies, materiaque tenax versicolor ex vagina uterina efflueret. Sanitatem itaque non tantum vegetam  
recu-



recuperavit, sed brevi etiam post iterum concepit, feliciter gestavit & sanum peperit infantem.

### CASVS III.

Mulier quædam hujus loci honesta, parva succiplena XXIV. annorum, animio emmenenagogorum propter mensium emanfionem usu, valde enervata, per aliquot annos in matrimonio absque prole vixit, menstruæ purgationes jam fluebant quidem quamvis inordinate, sed fluxus simul accedebat albus, quapropter ante duos annos meum etiam implorabat auxilium. Ordinabam ipsi eandem methodum curæ, vinum nempe uterinum, pilulas balsamicas & balneum &c. illa etiam avide licet aliquatenus negligenter per tres septimanas hacce utebatur, intentus etiam sequebatur effectus, magna enim colluvies vitiosorum seroso glutinosorum humorum ex utero effluxit, nunc sana & gravida felicem sperat partum.

### CASVS IV.

Generosa hujus loci fœmina XXXVI. circiter annorum, spongiosa, phlegmatica mediocris staturæ, variis hystericis affectibus alias obnoxia, per multos annos infœcunda, ante tres annos valetudinis recuperandæ causa meum petiit consilium; Ego in utero ipsius magnam humorum impuro- rum colluviem stagnare prædixi, & eandem hanc dictam curam suasi, illa hac utebatur & similis sequebatur effectus, magna enim viscerum glutinosi feri copia in balneis per vaginam uterinam secessit. Ante annum quoniam ab omnibus hisce hystericis affectibus quibus alias sæpius obnoxia fuit, per hoc



tempus libera manfit, præſervationis cauſa per duas ſeptimanas eadem utebatur cura, tum per alvum quidem copioſe ſatis ejecit, ſed in balneis nulla iterum veſtigia purgationis uterinæ apparebant interea ſanam modo vivit vitam.

### CASVS V.

Alia hujus loci honeſta Fœmina viginti quatuor annorum ſpongioſa, molliculam degens vitam ante tres annos patiebatur abortum ſequebantur deinde aliquoties moleſtæ uterinæ hæmorrhagiæ, quæ adhibitis legitimis remediis quidem ſubſtiterunt, ſed poſt hoc tempus menſes inordinate & largiter quandoque fluebant, & moleſtus ſimul affligebat eandem fluor albus, quo ante hac per tempus aliquot jamjam laboraverat, humor copioſior non tantum & graveolens ſed mixtis tinctus etiam coloribus jam exhibat, accedebat virium magna proſtratio, ſaſtidium ciborum & corpus laxum, flaccidum ſegneque reddebatur. Eandem itaque huic poſt præmiſſam in pede venæ ſectionem ſuadebam curam, qua etiam ante duos nunc annos tempore vernali per tres ſeptimanas utebatur, magna hinc ſeri non tantum glutinoſi diſcoloris ſub cruenti fœtidi eluvies ſed mucoſa ſub albida materia ſine dubio a collecto in uteri ſinu copioſo per nimium coitum ſemine maſculino, materia in balneis ſeceſſit. Dabam ipſi poſtmodum Eſſentiam baſam: & aliquot doſes de croco martis aperitivo, externa ſupra laudata ſimul adhibuit, quo factò, fluor ille moleſtus ceſſavit & menſes regulariter ſimul fluxerunt, ſicque DEI gratia proſpera nunc gaudet valetudine.

CAVTE-



## CAVTELÆ & MONITA.

### I.

**I**Nter nova inventa curam illam quam summo jure purgationem uterinam nominare possumus, numerandam esse, quilibet, quoniam in libris Medicorum nulla illius fit mentio, facile concedet.

### II.

Nec Pilulæ balsamicæ, uti quidem effectum hunc unice hisce quidam adscribunt nec balneum etiam solum, quamvis tale ad eundem ferme modum paratum a Mynsichtio infertilitate laudetur, hocce potest præstare, uti sæpius experti sumus, sed requiritur ad illam purgationem necessario, ut pilulis non tantum utantur, sed etiam vinum uterinum simul bibant & balneum etiam adhibeant fœminæ. Quomodo vero hæc ipsa medicamenta operationem talem præstent, de modo scilicet operandi nos non anxie sumus solliciti, sufficit, quod certo sciamus, quod hoc faciant. Aliorum modo judicio libentius relinquemus, quomodo medicamenta illa cum variis corporis nostri succis commixta per tot canales & tam varias vias circulantia in utero demum effectum tam admirabilem præstent.

### III.

Tanto magis autem est æstimanda hæc cura, quoniam natura, hisce causis præsentibus in utero ut plurimum nulla molimina ad ea expellenda suscipit, spasmi autem hysterici tollendis hisce causis rarissime & quidem fere unice præsentibus molis expellendis vel quadrant, vel sufficiunt, imo motus isti sæpissime gravissima damna œconomiae inferunt.



IV.

Nemo interea negare poterit, quod ejusmodi causæ in utero hærentes, hac ratione commodissima via expurgentur, & quod fieri non possit easdem per alias vias expellere.

V.

Cuticulæ expansæ variis coloribus tinctæ faciem ut plurimum eluvies hæc glutinosorum & coagulorum humorum fundo vasis, quod ad balneum adhibetur, adhærens repræsentat.

VI.

Commodissimum tempus hac cura utendi ver-nale & autumnale esse hætenus experti sumus, tem-pore enim nimis calido vires exhauriuntur, tempus vero frigidum, quoniam pori in balneis aperiuntur, eosdem occludendo nocet.

VII.

Dosis vini uterini nec non Pilularum pro con-ditione subjecti variat.

VIII.

In plethoricis & sanguineis evacuationibus as-fuetis venæ sectionem in pedibus instituendam ante curam commendamus.

IX.

In inveterato fluore albo, quando finita cura adhuc de fluido aliquid ex genitalibus exstillat, præ-ter jam dicta externa & interna suffitus ex olibano tacama haca & succino viæ ad uterum tendenti com-modo instrumento applicare possunt, quodammo-do enim relaxatas glandulas simul roborant.



X.

Quamdiu cura hac utuntur fœminæ ab omni coitu abstinere plane debent.

XI.

Cibum sumere debent paucum sed boni succi, qui corpus non gravat, sed recreat. Potus etiam sive aquæ sive cerevisiæ claræ sit paucus, vinum generosum post balneum ad recreationem bibere possunt sed modice.

XII.

Quam varia mala alias ex imprudenter suppresso fluore albo per remedia adstringentia, inter quæ pulverem etiam Dolæi tantopere laudatum numeramus, oriantur, libri Medicorum qui observationes scripserunt, abunde testantur, in ficcioribus sequitur hæctica, in humidioribus vero cachexia, hydrops &c.

XIII.

Quæ a malis hisce sunt liberatæ impofterum quantum fieri potest, diligentissime caveant ab illis causis, quas superius recensuimus & inter externas antecedentes numeravimus, ne iisdem iterum corripiantur affectionibus.

XIV.

Quando, legitime constitutis partibus genitalibus, post debitam uteri expurgationem fœminæ manent steriles, non ab imaginaria illarum aversione gestandi, sed a mala feminis virilis constitutione sterilitatem dependere concludendum est.

F I N I S.



**Q**uomodo tollendus sit morbus fluminis albi  
 Foeminei, solers edoces atque probas.  
 Materiam sane legisti viribus aptam,  
 Foecundas animi quae manifestat opes.  
 De meliore luto TIBI dum praecordia finxit  
 Titan, TE magnum sic fore non dubito.  
 Iam pridem Medicos coepisti spernere naeuos,  
 Verus in arte TVA Roscius esse potes.  
 Eminus hinc merito TIBI laurum monstrat APOLLO,  
 Promittit studio praemia lauta TVO.  
 Cogitur ad plausus, FAVOR mihi semper AMANDE,  
 Nostra Camoena TVOS, haud titubante fide.  
 Quod superest, superi stellantem Regis ad aulam  
 Mens mea iam properat, talia vota ferens:  
 Vt dignos virtute TVA TIBI mittat honores,  
 Vt curis faueat, siugula coepta beet.  
 Attentam mentem morbis intendere perge,  
 Aegrotis sacra saluificamque manum.  
 Sic tradet Galenus opes, concedet honores,  
 Sic finis optatus condecorabit opus!

*Nobilissimo ac Doctissimo Domino dissertationis  
 huius Autori, Fautori & Amico suo inte-  
 gerrimo, positus in fidem candoris & bene-  
 uolentiae lineis vltiores studiorum succes-  
 sus & praemia exoptatissima animitus vouet*

GOTTHELFF AVGVSTVS SCHVMANN Hal.  
 I. V. Cultor.

**D**ie rechte Wissenschaft und Klugheit zu curiren/  
 Kan man aus dieser Schrift / mein Freund gar deutlich spühren,  
 Er hat in dieser Kunst den festen Grund gelegt/  
 Der von der Mißgunst selbst muß stehen unbewegt.  
**Das Weibliche Geschlecht wird Ihm besonders danken /**  
 Daß Er mit solchem Fleiß gesorget vor die Kranken/  
 Er zeigt den Weg wie man die Schmerzen heben soll  
 Die manche viele Jahr empfindet allzuwohl.  
 Weil denn ein jeder heut' die Augen auf Ihn richtet/  
 Hat meine Feder dies zu Seinem Ruhm' gedichtet /  
 Der Höchste stehe Ihm bey Seinen Curen bey  
 Damit Er allezeit darinnen glücklich sey.

*Dieses schrieb zu Bezeugung seiner Er-  
 gebenheit des Herrn Autoris erge-  
 bener Freund*

Johann Wolfgang Vogel Hal.  
 Philosophiae Studiosus.